Ph… thias Paulus:

~~Gomulczyński Daniel Thomas~~: Agonium philosophicum ternos inter Stagyritae colles, biennio celebratum seu Conclusiones ex universa Aristotelis philosophia speculativa.

Gomułczyński Danielis Thomae

Conclusiones ex universa Aristotelis Philosophia speculativa ad mentem D. Thomae Aquinatis concinnatae.

✠

In Nomine Domini, Amen.

AGONIUM PHILOSOPHICUM,

Ternos inter Stagyritæ colles, biennio CELEBRATUM.

SEU

CONCLUSIONES,

EX

UNIVERSA ARISTOTELIS PHILOSOPHIA SPECULATIVA,

Ad mentem Divi THOMÆ Doctoris Angelici

CONCINNATÆ;

& A

M. DANIELE THOMA GOMUŁCZYNSKI,

Philosophiæ Doctore, & Professore, Collega Minore, PRÆPOSITO Cromoloviensi, Cursûs Vladislaviano-Philosophici Professore.

Obiectis satisfaciente

MATHIA PAULO CELEIOWIC,

Artium & Philosophiæ, in Alma Vniversitate Cracoviensi Baccalaureo,

Publicæ Disputationi

PROPOSITÆ.

Anno ab Agonio CHRISTI in humana natura 1692. Die 2. Mensis Februarij, Horis pomeridianis.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Inſigne,

Perilluſtris & Admodùm Rn̄di Dn̄i.



Dirigit ad Cælos HASTAS PACZANOVSCIA Virtus,
Pro ſpolio, Divûm Cælica dona ferens.
Numina jam ſiſtunt clades, jam pace coronant
Terras, tertia dum deſuper HASTA volat.

Perillustri & Admodùm Rn̄do Dn̄o,

D. ANDREÆ
DE PACZANOW
PACZANOWSKI,

Præposito Paczanoviensi, &c.

Domino, D. & Patrono Observandissimo.

SVccrescentibus palmis & insummum redeunte viridi lauru pro qua hactenus ad porticum Stagyriticam biennio excubabam, dum iam pro illa gloriosiùs decertandum venit, non extra gratiæ Tuæ metas versor, quando vectigalem Nomini Tuo decursum celebro, PERILLVSTRIS & ADMODÙM REVERENDE DOMINE. *Ducit me ad id non vulgaris cuiusdam tinnitus laudis, sed immensa quædam æternæ gloriæ portio, non meæ debita tenuitati, ast Tuo tributaria Insigni, quam ita comparas mihi, vt Tibi integram relinquas. Et certè circumstat illud vndiq; excelsa quædam & pæne Diuina laudis maiestas, amplitudine sua, non exæquans tantùm Orbem Polonum, sed etiam superans, vt nihil illi sit gloriosiùs, quàm pulcherrima Magni Tui Sanguinis decora venerari. Quippe ita illum ingenti quodam meritorum obligauerunt argumento, vt præmia nonnisi cogitauerit, nec inuenerit alia, quàm immortalitatis consortem memoriam. Equidem, quid non effecit heroica* PACZANOVSCIORVM *dexteritas, non Nemæis sed Leonibus formidanda Sueticis, Draconi feralis Moschouitico, bicornis Thraciæ Turciæq; Deæ ecclypsis, dum, quicquid virtutis & auiternæ gloriæ alieni Soles Patrio tribuunt nomini, illa omnia in vnicum collecta compendium, & emori prohibebat, & in vigore proprio conseruabat. At omnem hæc superant calamum, quæ cum Auitis tantæ Prosapiæ ceris, vti sæculorum antecedentium pignora, tenue relinquit eloquium, imbecillitati suæ atq; illorum parcendo magnitudini. Tu pro omnibus mihi sufficis* PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, *in quo virtutis Antecessorum arcano quodam naturæ penicillo elaboratæ imagines, non minùs cernuntur, quàm Philippi in Alexandro suo. Decurrebant Illustres Antecessores Tui cum Gentilitijs Sarissis honorum Olympia, vero in Patriam amore cursûs Duce optimo & Comite; quid*

Tu

Tu non efficisti? dum ante prætextam Tuam exotico sub sole Patrium ampliabas nomen, cuncta Illustris indolis specimina, pro decore illius eximio explicando. Tendebant per debitam in Principes suos venerationem fidemq́; Tu eam sic in Te exprimis gloriosè, vt Serenissimi *olim &* Invictissimi Principis Ioannis Casimiri *cor Augustum in singularem erga Te deduxeris affectum, ita quidem operatus, vt, vbi Victor dominabatur Gradiuus, Tu pacificis magnæ Tuæ mentis dotibus triumphares. His decurrendo passibus, industriæ & celsissimi opus iudicij perfecisti, dum ad metam cælo vicinam, quia spiritualis vitæ honore eminentem, integerrimi pectoris Tui, & præcelsæ mentis gloriam conuertisti. Non frustra profecto Gentilitiæ Tuæ Sarissæ cælum intuentur, cuius ministerio fungi sunt paratissimæ; non frustra Tibi cælitùs tertia Hasta venit, quæ cor Tuũ ad Dei amorem dulcissimo vulnere sauciauit. Heros fieri voluisti, sed in castris Diuinis, pugnare & vincere elegisti, sed zelo Ecclesiastico, & innocentia vitæ. Nec maiora poterant esse Sarissarum Tuarum trophæa, quàm, quæ in Altaribus Ecclesiæ Dei speciosissima fulgent. Loquetur posteritas, loquentur sæcula hanc in Te immortalitatis materiem, non sæculis, non temporibus dignè satis prædicandam, Qui, quicquid* Antecessores *comparauerant recordationis, id omne recondis; adauges magnitudine animi Tui, beneficentiâ in decorem domûs Domini, prodiga manu in egenorum necessitatem, atq́; summa illa indole Tua, quâ honores Ecclesiasticos cùm amplissimos merearis, modestissimo de Te sensu, Deo mauis coniunctus esse, quàm in celsitudine honorum, mentibus & oculis humanis velle placere. Ad hanc humanissimæ gratiæ Tuæ, & eminentis gloriæ magnitudinem, mea quoq́; accurrit Pallas Stagyritica, cursu biennali Philosophico perfuncta; vt, si quid in hoc Agonio victricium palmarum consecuta fuerit, Tuum sit, quia Perillustri Nomine Tuo insignitum. Ego quidem certare in hisce Olympijs contendo, sed Tuum est dispensare coronas, & immortales sortiri triumphos; cui tota est, quem in sacris manibus ad Diuina Altaria gestas, victoria & corona Deus. Ab hoc Tibi cùm Nestoreos annos & celsissima omnia precor, Agonium istud Magno Nomini Tuo submitto; cui satis erit præsidij, satis gloriæ; si Illustribus Sarissis Tuis gloriosè muniatur. Hoc votum meum est, quod cedris perennibus inscribo.*

Perillustris & Admodùm Reuerendæ
Dominationis Vestræ,

Humillimus Cliens & Seruus,

Mathias Pavlvs Celeiowic.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

CONCLUSIONES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA SPECULATIVA:

Ex Diſputatione Præliminari.

DAtur in rerum natura Philoſophia exiſtens in intellectu ſubiectiuè, neceſſaria homini: definitur rectè dum dicitur, quòd ſit cognitio rerum ut ſunt: quæ ratione finis adæquatè diuiditur, in Theoricam & Practicam: ratione Obiecti in Rationalem, Naturalem & Moralem: ex quibus enumeratis ordine doctrinæ, prior eſt Rationalis Naturali & Morali; non tamen ordine dignitatis.

CONCLUSIONES LOGICÆ.

I.

IN rerum natura neceſſariò exiſtit Logica Artificialis: diuiditurq; in docentem & vtentem: non tamen in diſtinctos realiter habitus. Docens quòad omnes ſuas partes eſt vera & una ſcientia, illaq; ſimpliciter ſpeculatiua. Hæc eſt ſimpliciter neceſſaria homini in ſtatu perfecto, etiam ab intrinſeco ratione Formæ, tanquam terminus naturalis inclinationis; non ſolùm ad acquirendas ſcientias, ſed etiam conſeruandas. Obiectum eius formale & adæquatum eſt Ens rationis, directiuum trium operationum mentis.

II.

VEre Ens rationis Logicum datur, cuius totum eſſe, eſt tantùm eſſe obiectiuè in intellectu. Eſtq; formabile à ſolo intellectu humano, per omnes tres mentis operationes: non eſt quidem cognoſcibile per ſpeciem impreſſam & propriam, bene tamen per alienam, ſcilicet per ſpeciem Entis realis.

III.

VNiuerſalia Materialiter ſumpta dantur à parte rei; non tamen ſeparata realiter à ſingularibus, neq; exiſtentia extra ſingularia: vnde rectè dicitur Vniuerſale eſſe id, quod aptum natum eſt ineſſe multis, & prædicari de multis. A parte rei in natura creata nulla datur unitas formalis communis pluribus poſitiuè; ſed tantùm negatiuè; in quantum negatiuè ſumitur pro eo, quod alicui non repugnat: ac ideo vnitas formalis non diſtinguitur realiter ab vnitate Numerica.

IV.

SImplex comparatio intellectûs poſſibilis, facit vniuerſale formale, non verò datur à parte rei. Huius vniuerſalis propria paſſio eſt prædicabilitas: diuiditur adæquatè in quinq; Prædicabilia, ſcilicet. Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens.

V.

TAliter Genus rectè definitur à Porphyrio, cum dicitur eſſe id: quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in eo, quod quid eſt: definitum eius eſt intentio ſecunda in concreto; vt connotat Naturam. Hæc Natura Generica prædicatur in recto de ſpecie vt totum quoddam potentiale.

VI.

HAbet hoc Natura ſpecifica, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in eo, quod quid eſt, quòd ſumpta vt totum potentiale, poſſit ſaluari in vnico Indiuiduo; & non Natura Generica in vnica ſpecie: quæ vt ſubijcibilis non eſt Vniuerſalis formaliter, conſequenter nec Prædicabilis: è contra illa ſpecies cui vnum correſpondet Indiuiduum, qualis eſt Natura Angelica, vt à nobis pro hoc ſtatu concipitur, eſt Vniuerſalis & Prædicabilis.

VII.

OMnino datur Indiuiduum vagum, medium inter Naturam Vniuerſalem & Particularem, præter Indiuiduum Determinatum ; quod a Porphyrio primo intentionaliter definitur per collectionem proprietatum ; ſecundò verò intentionaliter per prædicabilitatem de vno ſolo.

VIII.

MAximè propria differentia conſtituit tertium Prædicabile : eius definitio inter alias potior eſt quæ datur per prædicari de pluribus, & differentibus ſpecie in quale quid ; competitq; differentijs tam ſubalternis, quàm atomis: quæ Differentia in ratione tertij Prædicabilis conſtituitur per reſpectum ad Indiuidua ſpeciei.

IX.

ANalogicè quidem, ſufficienter tamen, Proprium, diuiditur per quatuor acceptiones ; quarum vltima, hoc conſtituit Prædicabile, quod in eſſe Vniuerſalis talis conſtituitur per ordinem ad Indiuidua illius ſpeciei à qua dimanat: Sicut Accidens in eſſe Vniuerſalis, conſtituitur etiam per ordinem ad ſubiecta : quæ accidentaliter denominat, non verò per ordinem ad propria inferiora.

X.

SUfficienter ſunt aſſignatæ definitiones Æquiuocorum, Vniuocorum & Denominatiuorum : præter Æquiuoca tamen & Vniuoca, dantur diſtincta ab illis Analoga : quæ Logicè ſumpta, alia ſunt Attributionis, alia Proportionalitatis. Diuiſiones etiam Vocum & Rerum conuenienter aſſignantur à Philoſopho, cum duabus Regulis.

XI.

DUm dicitur, quod Prædicamentum ſit coordinatio plurium Prædicabilium, in qua ſuperiora de inferioribus quidditatiuè prædicantur ; adæquatè explicatur natura Prædicamenti : hæc diuiditur in decem ſumma Genera : inter quæ intercedit diſtinctio realis.

XII.

OPtimè ſubſtantia, cuius ratio formalis conſtitutiua, eſt eſſe per ſe ; diuiditur in Primam & ſecundam : eiuſq; ſex aſſignantur proprietates ; & quamuis directè ponatur hîc Chriſtus vt homò ; tum & alia corpora Cœleſtia & Intelligentiæ ſeu Angeli ; non tamen DEUS glorioſus.

XIII.

COnſtat Quantitatem realiter diſtingui à ſubſtantia, non tamen ſubſtantiam ablatâ Quantitate habere aliquas partes integrales : eſſentia eius eſt extenſio partium in ſeipſis : Diuiſio in Continuam & Diſcretam, eſt Generis in ſpecies ſubalternas.

XIV.

TAm ſecundùm conceptum communem In, quàm ſecundùm ſpecialem Ad, omnes Relationes creatæ ; quarum totum eſſe, eſt ad aliud ſe habere ; vt ſunt Prædicamentales, ita & reales ; ad has Relationes quatuor conditiones requiruntur: ſubiectum reale realiter exiſtens, Ratio fundandi realis, Terminus realiter exiſtens, & diſtinctio realis fundamenti à termino. Relatio Prædicamentalis licet diſtinguitur realiter à fundamento, tam proximo, quàm remoto, vnitatem tamen & diſtinctionem ſpecificam ſumit tam à fundamento, quam à termino : Mutuæ etiam quamuis formaliter terminentur ad aliquid relatiuum ; non tamen non mutuæ, niſi extrinſecè & terminatiuè.

XV.

OMnis Qualitas eſt id, ſecundùm quam dicimur quales : ratio eius formalis eſt diſpoſitio ſeu modificatio ſubſtantiæ ſine addito : Diuiſio in quatuor ſpecies ſc. in Habitum & Diſpoſitionem, Naturalem potentiam & Impotentiam, Paſſionem Patibilem Qualitatem, Formam & Figuram.

XVI.

REliqua ſex Prædicamenta ſunt Formæ abſolutæ reſultantes in rebus, cum eſſentiali dependentia ab aliquo extrinſeco : non conſiſtunt in denominatione purè extrinſeca, ſed ſunt Accidentia, ſeu modi reſultantes in rebus ex dependentia ab aliquo extrinſeco, habentes rationes formales diſtinctas, conſtituentes diſtincta ſumma Genera.

XVII.

XVII.

ARiſtoteles conuenienter & ſufficienter tradidit doctrinã Poſtprædicamentorum tàm in genere, quàm in ſpecie, quoad modos ſingulorum ſc. Oppoſitionis, Prioris, ſimul, Motûs & Habere: quorum cognitio, confert ad cognitionem ſufficientem Prædicamentorum à poſteriori.

XVIII.

NOn poteſt dici quòd non ſit recta definitio Propoſitionis, cum dicitur. Eſt oratio verum vel falſum ſignificans: cuius etiam diuiſio in Affirmantem & Negãtem eſt recta & vniuoca. Propoſitio mente formata eſt ſimplex Qualitas, id eſt vnius conceptûs repræſentans VnionemPrædicati cum ſubiecto. Propoſitionum ſingularium de futuro contingenti neutra eſt determinatè vera aut falſa ante decretum DEI.

XIX.

GEnuinè ſi accipiatur Diſcurſus, ratio eius formalis omnino requirit pluralitatem cognitionum: Unde, pro formali dicit motum intellectûs de vna cognitione in aliã: diuiditurq; in Conſequentiam ſtrictè ſumptam & Argumentationẽ: Argumentatio in Conditionalem, Cauſalem & Rationalem: Rationalis in ſyllogiſmum, Enthymema, Inductionem & Exemplum: hæc tamen vltima diuiſio eſt Analoga.

XX.

ESt recta definitio ſyllogiſmi hæc. Eſt oratio in qua quibuſdam poſitis, aliud quidpiam diuerſum ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eò quod hæc ſunt. Principia eius alia ſunt Conſtitutiua idq; vel Materialia, ut Termini, Propoſitiones; vel Formalia vt Modus & Figura: alia Regulatiua.

XXI

LIcèt omnis cognitio intellectiua diſcurſiua, fiat ex præexiſtenti cognitione: nõ tamen cognitio Angelorum, Principiorum primorum, aut Habitûs infuſi, fit ex ea.

XXII.

IN Syllogiſmo aſſenſus Concluſionis, fit ex aſſenſu Præmiſſarum: & hic aſſenſus neceſſitat intellectum noſtrum ad aſſenſum Concluſionis; tam quo ad ſpecificationem, quàm quoad exercitium: vbi Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem.

XXIII.

CUm Demonſtratio ſit ſyllogiſmus procedens ex veris, immediatis, prioribus, notitioribus & Cauſis Concluſionis: Præmiſſæ eius debent conſtare Prædicato de omni per ſe & vniuerſali: non tamen expedit abſolutè loquendo, vt omnes ſint de Prædicato vniuerſali, ſufficit ſaltim vna talis: eſt tamen neceſſarium vt præmiſſæ ſint certiores quam Concluſio. Diuiſio Demonſtrationis in Quia & Propter quid eſt adæquata, ſed Analoga.

XXIV.

VEre ſcientia propriè ſumpta, eſt cognitio rei per cauſam, per quam res eſt, nec ſe poteſt habere aliter: vnde de ſingularibus, contingentibus, & per accidens non datur ſcientia. Eſt ſimplex Qualitas: Vnitas eius & diſtinctio generica in eſſe ſcibilis, ſumitur à ratione formali ſub qua: ſpecifica vero ex vnitate vel diſtinctione ſpecifica principiorum intra idem genus ſcibilis. Eſtq; alia ſubalternans, alia ſubalternata: non tamen ſubalternatio deſtruit in ſubalternata rationem veræ ſcientiæ.

XXV.

SYllogiſmum Topicum & Sophiſticum conſtat dari; cum utriuſq; definitiones, ſpecies, Cauſas omnes & Locos ſufficienter explicauerit Ariſtoteles.

CONCLUSIONES PHYSICÆ.

I.

QUoniam Phyſica verè & propriè eſt ſcientia; ideo Obiectum eius formale & adæquatum eſt Ens mobile radicaliter ſumptum: eſtq; vnius ſpeciei atomæ ſecundùm omnes ſuas partes: in qua tradenda procedendum eſt à magis vniuerſalibus ad minus Vniuerſalia; id eſt, à Cauſis, Principijs, Elementis.

II.

VEre dicuntur Principia, quæ neq; fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, ſed omnia fiunt ex ipſis. In fieri ſunt tria ſc. Materia, Forma, & Priuatio, dicunturq; prima contraria: in facto eſſe tantùm ſunt duo .ſ. Materia & Forma.

III.

IMpoſſibile eſt non dari Materiam primam, quæ etſi non inueniatur ſeparata à Forma; eſt tamen entitas realiter diſtincta ab illa. Definitur, quòd ſit ſubiectum primum vniuſcuiuſq; rei ex quo aliquid fit, cum inſit per ſe, & non ſecundùm accidens, etſi corrumpitur, in hoc abibit vltimum. Ita eſt pura potentia, vt nullum includat in ſe actum, etiam entitatiuum: nec per abſolutam Dei potentiam exiſtere poteſt ſine Forma; ſed ſolum exiſtit per exiſtentiam totius compoſiti, quam recipit mediante Formâ: & quamuis appetat Formas ſubſtantiales, eſt tamen vna vnitate ſpecificâ & numericâ negatiuè, in omnibus ſublunaribus.

IV.

DAntur Formæ ſubſtantiales, quas nos concedimus eſſe actus primos ſubſtantiales Materiæ, vnum per ſe cum illa conſtituentes: concedimuſq; omnes ſublunares generabiles, educi de potentia Materiæ; ita tamen vt tantùm potentiâ præfuerint in illa: negamus verò plures formas, etiam per abſolutam Dei potentiam, vnã eandemq; Materiam poſſe informare: ſicut & vnam formam plures numero Materias: omnes tamen exceptâ animâ rationali, ſunt generabiles & corruptibiles.

V.

QUòd Priuatio ſit carentia ſeu negatio Formæ in ſubiecto apto nato habere illam; & quod ſit principium rerum naturalium in fieri; diſtinctumq; realiter à Materia & Forma, conſtat omnibus.

VI.

VT Compoſitum Naturale eſſentialiter componitur ex Materia & Forma, tanquã ſuis partibus conſtituentibus; ita non diſtinguitur realiter ab illis ſimul ſumptis & vnitis. Nec datur aliquis modus vnionis ſubſtantialis diſtinctus inter Materiam & Formam, ſed præciſè & immediatè ſeipſis vniuntur.

VII.

IN dubium vocare minime expedit, Naturam eſſe principium & cauſam motûs & quietis, in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens: quod nomen Naturæ competit Materiæ & Formæ, & ipſi Animæ rationali, non tamen Angelis: quã Naturam concedimus eſſentialiter realiter diſtingui ab arte; negamus verò Artem poſſe efficere opera Naturæ per verùm influxum; concurrere tamen ad id aliqualiter applicando actiua paſſiuis.

VIII.

DIcitur Cauſa id, ad cuius eſſe per realem Phyſicum influxum, ſequitur aliud eſſe ſpecie vel numero diſtinctum: diuiditur verò in Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem: & quamuis omnis Cauſa in actu conſiderata, ſit prior ſuo effectu, prioritate naturæ: non tamen omnis Cauſa eſt perfectior & nobilior ſuo effectu: diſtinguiturq; omnis realiter à ſuo effectu.

IX.

SIcut Materiæ, realis & adæquata Cauſalitas eſt recipere Formam & conſtituere Compoſitum; ita Formæ Cauſalitas eſt dare eſſe Materiæ & efficere Compoſitum: Vtriuſq; effectus intrinſecè conſideratus, ſecundùm totum eſſe quod dicit, realiter entitatiuè diſtinguitur ab vna quaq; illarum diſtinctione includentis & incluſi: conſideratus verò ſecundùm illud eſſe quod à ſola Materia vel à ſola forma habet, non niſi diſtinguitur Modaliter.

X.

CAuſæ Efficientis, quæ eſt principium per ſe extrinſecum, à quo primò incipit motus; Cauſalitas in actu primo radicali eſt ipſa Forma ſubſtantialis; in actu proximo ſunt accidentia; in actu ſecundo eſt actio, vt egreditur ab agente, per ordinem ad effectum, vt ad terminum. Effectus eius in ſuo eſſe non tantùm dependet à Cauſa ſecunda, ſed etiam & à prima: ita vt Prima Cauſa, concurrat cum Cauſis ſecundis, concurſu ſimultaneo immediatè ad agendum; & inſuper eas phyſicè præmoueat ad agendum, ſine læſione libertatis noſtræ.

XI.

REctè dicitur Cauſa Inſtrumentalis illa, quæ per virtutem receptam à Cauſa principali operatur effectum nobiliorem ſe: de ratione eius eſt, vt habeat propriã virtutem & actionem præuiam actioni principalis agentis; hæc autem præuia actio inſtrumenti, ideo neceſſaria, eſt vt in illa actio principalis agentis, modificetur.

XII.

XII.

IN his, quæ raró contingunt ex electione, Fortuna eſt Cauſa efficiens per accidens: quæ ſine electione contingunt, Caſus, eſt Cauſa efficiens per accidens: ſed præter Fortunam & Caſum datur in rerum Natura Fatum; intelligendo per illud præordinationem Cauſarum ſecundarum, ad certos & determinatos effectus, ab æterna Dei prouidentia, factam.

XIII.

PRopter finem cum Natura agat, ideo concedendum eſt dari Cauſam Finalem Phyſicam realem, cuius gratiâ aliquid fit: Cuius ratio formalis conſtitutiua in actu primo, eſt ſola bonitas; apprehenſio verò bonitatis, eſt conditio & applicatio requiſita ad finalizandum; in actu verò ſecundo ipſa initiatiuè motio, ſeu excitatio voluntatis, ſine impreſſione alicuius realis; completiue eſt actus voluntatis ſeu amor vt pendens ab appetibili.

XIV.

SUmptæ ſimul duæ Cauſæ totales eiuſdem generis & ordinis, vt producant eundem effectum numero, impoſſibile eſt: Non implicat tamen contradictionem, dari plures Cauſas inſtrumentales totales, & adæquatas, vnius & eiuſdem effectûs: implicat verò eundem numero effectum, qui productus eſt ab iſta Cauſa, potuiſſe produci ab alia.

XV.

IN definitione motûs rectè dicitur, quòd ſit actus entis in potentia, ſecundùm quod in potentia: quæ definitio conuenit, tàm mutationibus ſucceſſiuis, quàm inſtantaneis, idq; ſolùm illis, quæ ſunt actûs perfecti. Omnis motus ſubiectatur in mobili; actio verò tranſcendentalis in paſſo. Ad tria tantùm prædicamenta, ſ. ad Quantitatem, Qualitatem, & vbi, terminatur motus: cuius vnitas ſpecifica ſumitur a termino ad Quem: Generica ex virtute Prædicamenti ad quod terminatur: Numerica ab vnitate mobilis, termini ad Quem, & vnitate ſeu continuitate temporis non interruptâ.

XVI.

TAm naturaliter, quàm ſupernaturaliter, nullum poteſt dari infinitum in actu in creatis; eſto detur in potentia ſecundùm magnitudinem, multitudinem, extenſionem; imò aliqualiter ſecundum eſſentiam. Corpora Viuentia, & non Viuentia habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis & paruitatis.

XVII.

BEnè in eodem Loco, qui eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis prima; duo corpora eſſe ſimul & ſemel poſſunt ſupernaturaliter: repugnat tamen vt vnum idemq; ſit ſimul in duobus locis adæquatis circumſcriptiuè. Si daretur Vacuum, ſaltem virtute Diuinâ, poſſet moueri in illo corpus motu ſucceſſiuo.

XVIII.

EXiſtere tempus, quod eſt Ens verum, reale, & menſura ſeu numerus motûs, ſecundùm prius & poſterius, ratione alicuius partis, implicat; ſed ſolum exiſtit ratione inſtantis, quod eſt Nunc. Unde ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles, ſumptæ ſecundùm ſuum eſſe exiſtentiale, quatenus in ſe continent quantitatem durationis, menſurantur tempore; non verò ſecundum ſuum eſſe eſſentiale, præſcindendo ab exiſtentia. Res ſucceſſiuæ incipiunt & deſinunt extrinſecè, indiuiſibilia tamen illarum intrinſecè. Permanentes verò quantum eſt de ſe & connaturaliter incipiunt intrinſecè & deſinunt extrinſecè.

XIX.

NOn ex ſolis indiuiſibilibus conſtat Continuum, ſed ex partibus per indiuiſibilia vnitis: in quo dantur indiuiſibilia, tàm terminatiua, quàm continuatiua, illaq; realia; quæ non ſunt actu infinita, ſed tantum potentiâ: in eodem ſunt partes realiter diſtinctæ, non tamen actu infinitæ.

XX.

ETiamſi conſtet, omne quod mouetur, ab alio moueri: vnde Corpora grauia & leuia mouentur à motore extrinſeco, proiecta verò primariò & principaliter à projciente, ſecundariò & inſtrumentaliter ab impulſu: non tamen in mouẽtibus & motis ſubordinatis, datur proceſſus in infinitum; ſed deueniendum eſt ad

vnum primum Motorem: qui omnia moueat, ipse sit omnino immobilis, actus purus, æternus, simplicissimus, infinite perfectus, vbiq; præsens, perfectissimè intelligens & volens, summè beatus se ipso.

XXI.

SI Mundus de facto fuisset conditus ab æterno, non esset in tempore creatus à Deo liberè ex nihilo; idque ad vernum æquinoctiũ 25. Martij, die Dominico: potuit tamen esse ab æterno, quò ad entia permanentia saltem: & quamuis plures sint possibiles & perfectiores supernaturaliter, vnicus tamen esset perfectus in suo genere.

XXII.

CÆlum neq; est Elementum, neq; compositum ex illis, sed distinctæ naturæ ab illis; compositum tamē ex Materia & Forma: non tamen Materia eius est eiusdem rationis, cum Materia sublunarium: non est animatum, est tamen solidum: nulli corruptioni obnoxium ab intrinseco.

XXIII.

REctè vndecem Cæli assignantur Mobiles: .s. Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, octauum Firmamentum, nonum Sphæra, quæ librationem absoluit ab ortu ad occasum, decimum sphæra, quæ libratione rapitur ab aquilone ad austrum, vndecimum primum Mobile, quod mouetur ab ortu in occasum intra 24. horas, Duodecimum Immobile: omnes sunt sphærici & continui; excepto Immobili: & licet habeant aliquid natiui luminis; maximam tamen partem luminis mutuantur à Sole.

XXIV.

INtelligentia assistens Cælis, mouet illos motu circulari naturali, præter Empireum: qui motus Naturalis conuenit illis ex parte principij passiui, non verò actiui; nisi secundùm quid influunt in hæc inferiora per lumen, calorem, motum, & qualitates ocultas; non tamen in intellectum & voluntatem, nisi indirectè & per accidens: nec necessitant suo influxu. Cessante motu Cælorum cessant omnes motus, omnesq; actiones horum inferiorum.

XXV.

PRo productione, tàm viuentium, quàm non viuentium, sumpta Generatio, essentialiter dicitur esse mutatio totius in totum, nullo sensibili manente: sumpta autem pro sola generatione viuentium, dicitur esse origo seu processio viuentis à Viuente coniuncto in similitudinem naturæ specificæ. Terminus eius Qui & vltimus, est ipsum compositum existens & subsistens per se; subiectum immediatum est ipsa materia prima.

XXVI.

SUbstantialis Corruptio, quæ est transitus materiæ ab esse Formæ ad non esse illius in ipsa Materia; licet nullo modo per se sit intenta à natura particulari; est tamē intenta à natura vniuersali secundario: Terminus eius Qui, est non esse compositi præexistentis: Terminus formalis Quo Totalis, est non esse totalis naturæ illius; Partialis verò est non esse Formæ in Materia. In Corruptione substantiali fit resolutio vsque ad Materiam primam.

XXVII.

IN Alteratione, quæ est motus continuus per se terminatus ad solam Qualitatem tertiæ speciei, hoc est maximum: quod diuidatur in Alterationem specialiter dictam, Intensionem & Remissionem. Intensio fit per additionem modi maioris radicationis in subiecto; sicut è contra Remissio.

XXVIII.

TAm in ratione actionis, quàm mutationis, datur vera Nutritio & Augmentatio; quarum vtraq; in solis viuentibus reperitur; sunt tamen inter se realiter distinctæ: Et licet vtriq; competat mutatio continua & successiua; non tamen vtraque toto tempore durat; Augmētatio enim solùm ad complementum adolescentiæ: manet tamen viuens idem numero, toto tempore vitæ.

XXIX.

VT Rarefactio non terminatur ad maiorem Quantitatem, ita nec Condensatio ad minorem, nec ad maius vel minus Vbi, seu præsentiam localem; sed per se terminantur ad Qualitates.

XXX.

XXX.

OMnino agens non poteſt agere in paſſum ſibi ſimile, ſed ſimile tantum in Qualitate, diſſimile verò in gradu: vnde idem non poteſt agere in ſeipſum, niſi inter agens & paſſum intercedat aliqua diſtinctio vel formalis, vel virtualis. Omne tamen agens Phyſicum, ſeruatis conditionibus debitis repatitur in agendo.

XXXI.

COnſtat Mixtionem, quæ eſt miſcibilium alteratorum vnio, poſſibilem eſſe naturaliter, tàm ex quatuor Elementis, quàm ex quibuſcunq; miſcibilibus, etiam ex liquoribus eiuſdem ſpeciei, modò habeant Qualitates contrarias, aut diſſimiles. Formæ tamen Elementorum non manent in mixto, ſed Qualitates illorum, ad mediocritatem redactæ: nec poſſibile eſt in mixtis naturaliter temperamentum æquale ad pondus.

XXXII.

COrpus ſimplex eſt Elementum, in quod alia corpora diuiduntur; intus exiſtens potentiâ aut actu, ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie. Elementa ſunt quatuor .ſ. Ignis, Aer, Aqua & Terra, quæ ſtat immobilis in centro mundi: Elementa in propriis locis neq; grauitant, neque leuitant: motus tamen grauium & leuium naturalis, in fine eſt velocior.

XXXIII.

HOc habet ſingulare res permanens, quòd ſemel extincta poſſit ſupernaturaliter reproduci eadem numero: res vero ſucceſſiua ſemel annihilata, nullo modo reproduci poteſt.

XXXIV.

REmota Materia Meteororum eſt terra vel aqua; proxima vapor & exhalatio. Locus Meteororum eſt Aer, Aqua & Terra; maxime tamen aer. Cauſa efficiens maximè & per ſe, eſt virtus ſolis & aſtrorum; per accidens verò antiperiſtaſis. Hæc ſunt alia, ignea, alia àërea, alia aquea, & alia terrea. Meteororum igneorum ſunt Cometæ, qui verè naturaliter præſagire poſſunt, & vt defacto præſagiunt.

XXXV.

IN prima definitione Animæ ponitur, quòd ſit: Actus primus corporis Phyſici, Organici, potentiâ vitam habentis: & hæc eſt verè eſſentialis. In ſecunda ponitur quòd ſit: Anima id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus: & hæc eſt etiam bona; non tamen eſſentialis.

XXXVI.

SVo modo diuiſio Animæ in vegetatiuam, ſenſitiuam, & Intellectiuam, eſt vniuoca: in quouis tamen viuente vna ſufficit anima: vbi perfectior formaliter eminenter, continet imperfectiores. Anima rationalis & perfectorum animæ animalium ſunt indiuiſibiles; ſecus imperfectorum & plantarum.

XXXVII.

TAntùm ſunt quinque genera potentiarum animæ: .ſ. Vegetatiuum, Appetitiuum, Senſitiuum, Intellectiuum, & Locomotiuum; diſtincta realiter ab anima. Vnitatem & diſtinctionem ſuam ſpecificam ſumunt ab actibus & obiectis formalibus immediatè.

XXXVIII.

IN genere, potentiæ Animæ vegetatiuæ ſunt tantùm tres .ſ. Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua: omnes vt inter ſe diſtinguuntur realiter, ita à calore Naturali, & temperamento primarum Qualitatum, diſtinguuntur realiter.

XXXIX.

COmmuniter ſenſus, qui eſt potentia partim paſſiua, partim Actiua; diuiditur in quinque ſenſus externos: ſc: Viſum, Auditum, Odoratum, Guſtum, & Tactum: item in quatuor ſenſus internos: ſc: in ſenſum communem, Phantaſiam ſeu Imaginatiuam, Æſtimatiuam ſeu cogitatiuam, & Memoriam: & iſti ſunt omnes inter ſe diſtincti. Senſibile externum diuiditur: in Commune, Proprium, & per Accidens: vbi circa proprium ſenſibile, non poteſt decipi per ſe ſenſus, ſed per accidens: circa ſenſibile commune,

potest decipi vtroq; modo: Sensibile positum supra sensum immediatè, impedit sensationem: vehemens verò lædit sensum.

XL.

REctè asseritur, potentiam visiuam subiectari tàm in pupilla seu humore crystallino, quàm in neruis opticis seu visorijs; in illo, tanquam in organo extriseco, in his, tanquam in organo intrinseco & magis principali. Obiectum eius adæquatum est colorarum lucidum. Ad hoc verò vt videatur color, non requiritur lumen ex parte ipsius; sed ex parte medij: vnde etiam visio fit per receptionem speciei sensibilis.

XLI.

VT àër innatus est organum potentiæ auditiuæ, ita & nerui auditorii descendentes à cerebro. Obiectum eius sonus; Medium àër; quamuis etiam possit esse aliud corpus subtile & facilè commouibile.

XLII.

CErtum est organum odoratûs esse processus mamillares, vt uniuntur ab illis neruis, ex quibus pendent. Obiectum est odor diffusus ab odorabili realiter ad certam distantiam: Medium est àër & aqua.

XLIII.

IPsa caro linguæ non est organum gustûs, sed neruus aliquis à cerebro descendens sub car ne per totam linguam ramificatus. Obiectum est ipse vapor: Medium caro illa seu pars animalis, quâ neruulus gustatorius tegitur. Sensus Tactûs differt à gustu. Organo: quod est neruus quidam sub carne, per totum corpus diffusus per modum retis: Obiecto: quod est ipsum tangibile. Medio: quod est caro animalis sentientis condistincta à neruo.

XLIV.

FIdei inhærendo & Sanctorum Patrum doctrinæ, Anima Rationalis est purè Spiritualis, omnino incorruptibilis & immortalis: per creationem à DEO immediatè producibilis; est tamen vna alterâ perfectior indiuidualiter.

XLV.

INtellectus tàm agens quàm possibilis, datur realis, realiter distinctus à possibili. Intellectûs agentis officium est illuminare phantasmata: Obiectum intellectûs adæquatum extensionis & terminatiuum est ens in tota latitudine; intensionis & motiuum pro hoc statu est quidditas rei materialis, vt abstracta à conditionibus materialibus indiuiduantibus. Per quamlibet intellectionem creatam (excepta visione beatifica) producitur verbum: quæ intellectio est tamen realiter entitatiuè distincta à verbo, non tamen à formatione eius.

XLVI.

COnstat intellectionem non esse actionem de prædicamento Actionis siue cum motu; esse tamen veram & propriam actionem ad genus Qualitatis spectantem. Intellectus noster pro hoc statu non cognoscit singularia materialia directè; sed indirectè, & per quandam quasi reflexionem.

XLVII.

IN cognoscentibus datur appetitus illeque vel sensitiuus vel intellectiuus. Sensitiuus diuiditur in Concupiscibilem & Irascibilem realiter distinctos: Intellectiuus dicitur voluntas nostra, quæ est omnino libera in suis actibus; hæc licet sit intellectu perfectior secundùm quid, intellectus tamen est perfectior illâ simpliciter.

CONCLUSIONES METHAPHYSICÆ.

I.

INter scientias purè speculatiuas numeratur Metaphysica: quæ est vna specie infimâ, diciturq; verè sapientia. Hæc considerat omnes quidditates rerum in vniuersali; imò & in particulari secundùm proprias earum rationes; non tamen secundùm quid scibiles sunt. Obiectum eius formale est Ens vt Ens, quidditatè abstrahendo omnimodè à materia.

II. No-

II.

NOminaliter Ens sumptum, verè est transcendens respectu suorum inferiorum; non tamen Participialiter; respectu quorum est solùm Analogum, vtràque Analogiâ Attributionis & Proportionalitatis: nec habet vnum conceptum simpliciter præcisum à suis inferioribus; sed solùm obiectiuum & formalem secundùm quid, & imperfectè præcisum solâ ratione. Primâ diuisione rectè diuiditur in vnum & multa: passiones habet veras & reales, non tamen realiter distinctas: Passiones sunt: Res, vnum, Aliquid, verum, Bonum: præcipuæ tamen: vnum, verum, Bonum.

III.

QUid vnum Transcendentale addat supra Ens, cur quæritur? cùm solam addat indiuisionem: Veritas conuenientiam seu conformitatem rei ad intellectum verè illam concipientem: Bonitas rationem conuenientiæ cum appetitu respectu voluntatis. Hæc tamen conformitas seu conuenientia primariò ad intellectum vel voluntatem increatam, secundariò verò ad creatam, refertur.

IV.

VT est signata quàntitate Materia prima, sola est principium radicale indiuiduationis substantiæ materialis, & non Forma substantialis. Hæc signatio non sumitur, vt dicit compositum quoddam ex se ipsa & quantitate; aut modum substantialem materiam determinantem ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad illã; sed vt præhabet in radice quantitatem determinatam.

V.

INtrinsecè, licet omnia accidentia indiuiduentur ab ordine, quem ad ipsa dicunt, extrinsecè à suis subiectis: quantitas tamen secundùm aliquam rationem indiuiduatur à se ipsa, & secundùm alias rationes generales, à subiecto: subiecta hæc accipienda sunt formaliter, ad quod requiritur idem tempus vt conditio sine qua non. Duo Accidentia siue sint absoluta, siue relatiua, implicat solo numero distincta esse simul in eodem subiecto.

VI.

ESt defacto de essentia Accidentis inhærentia; non quidem actualis, sed aptitudinalis. Hoc Accidens habet propriam existentiam, distinctam ab existentia substantiæ.

VII.

NOn sunt ab æterno aliquid reale actuale & positiuum extra DEUM essentiæ rerum. Jn creatis suppositum realiter distinguitur à Natura, etiam in Angelis; additque aliquid supra Naturam positiuum realiter distinctum ab ipsa. Subsistentia etiam est realiter distincta ab Existentia. Subsistentia in toto composito est vnica & indiuisibilis. Existentia est perfectior Essentiâ, sine qua nec Diuinitus conseruari potest Essentia: Existentiæ solus DEUS est causa principalis productiua, Creaturæ verò tantùm instrumentales.

VIII.

TOtaliter inter gradus Metaphysicos non datur distinctio formalis actualis ex natura rei; sed solùm præcisio & distinctio obiectiua. vnde nullo modo datur distinctio formalis ex natura rei, quam Scotus adstruit.

IX.

IN vniuerso præter substantias materiales, dantur substantiæ separatæ seu Intelligentiæ; & istæ sunt formæ simplices, idque respectu compositionis Physicæ. Numerus substantiarum separatarum, licet excedat numerum specierum materialium creatarum; est tamen certus & determinatus. Istæ Intelligentiæ sc: Angeli, sunt incorporei & immateriales, a Deo creati in tempore, quo mundus conditus est, in cælo Empyreo;

X.

SUprema Jntelligentia inter alias Jntelligentias datur, sc: DEUS Gloriosus; qui est vnus, Æternus, Jmmensus, Omnipotens, Creator omnium, Conseruator omnium, Prouisor generalis huius mundi. Cui tanquam Bonitati inexhaustæ, totum id in homagium cultûs Latriæ, prostrati ante faciem eius, reddimus, dicamusque.

THOMA,
quidquid scripsisti, bene scripsisti.

ÆNIGMATA EX CONCLUSIONIBUS.

ENs rationis est Ens Methaphysicum. Relatio non est mutuus respectus. Causa dum causat per se, non est causa per se. Possibile est nauigare in scala, impossibile in mari. Materia prima est cum forma, est sine forma. Impossibile est viuere in àére, possibile in aqua. Ens vniuocum, est Ens analogum. Homo est Ens, non est Ens.



SVB FELICISSIMIS verò AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Rndi Domini,

D. M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: Doctoris, & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac: PRÆPOSITI, Scholastici Curelouiensis, ad S. FLORIANUM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum per Diœcesim Crac? Ordinarij Censoris, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII Procuratoris, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, S. R. M. SECRETARII, Almæ Uniuersitatis Cracouiensis, Generalis, & Vigilantissimi

RECTORIS.